

Primo quia generatim non repugnat æqualitas substantialis plurium individuorum, immo manifestum videtur passim dari. Quid enim, quæso, differt substantialiter gutta aquæ ab alia, vel una apprehensio et cognitio animalis ab alia etc.? Præterea individua ejusdem speciei ex se non aliam diversitatem requirunt, quam quæ sufficit ut unum non sit aliud. Atqui ad hoc non requiritur diversitas in substantiali perfectione, sed sufficit divisio unius ab alio, etiamsi in omnibus similia sint, similitudo enim, utcumque perfecta sit, non opponitur distinctioni, sed potius eam postulat.

Secundo nec requiritur inæqualitas substantialis ad explicandam varietatem accidentium et proprietatum, quæ in diversis individuis, potissimum humanis, cernitur: quod mihi omnium robustissimum argumentum esse pro prima sententia videtur. Sunt enim in variis individuis variæ vires et ingenia complexionesque. Quod si dicas hæc accidentibus variis tribuenda esse, præsto adest responsio adversarium, quod hæc ipsa varietas accidentium radicem habere debeat in substantia, neque enim ob aliam rationem ex diversitate accidentium colligimus ipsam specierum diversitatem. Cum ergo species omnium eadem sit, nec ex se diversitatem postulet accidentium, hanc refundendam esse in differentiam individualem: si enim individua perfectio eadem sit in omnibus, undenam, quæso, existat exigentia diversorum accidentium?

Hæc tamen non rem penitus evincunt. Nam diversitas operationum ex diversis accidentibus oriri potest. At accidentia hæc non est necesse, ut præcise ex interna exigentia ipsius substantiæ individua exoriantur, sed possunt attribui causarum externarum influxui. Id quod experientia ipsa videtur confirmari; non enim raro eadem varietas affectionum individualium, quæ in diversis subjectis reperitur, in eodem subjecto cernitur ob morbum vel ob varias causas extrinsecas. An non unquam vidisti prudentissimum virum repente mente captum, vel sapientissimum, ebrietatis vel morbi causa, stulta loqui, aut hebetem fieri, vel robustissimum militem infirmitate tabescere, vel e converso puerum, qui pinguissimo ingenio præditus videbatur, mox paulisper involvere sese, et quasi e somno expergefactum, copiosam

doctrinæ supellectilem assequi? An dices individua hujusmodi substantialem suam perfectionem mutasse? Simili ergo modo dici potest varietates diversorum individuorum perennes in accidentibus non tam internæ differentiæ individualis perfectionis, quam causarum et agentium, quæ ad illorum productionem concurrerunt, tamquam primæ radici tribuendas esse.

Verum de his hactenus. Qui plura cupiat, adeat Lossadam, Fonsecaam cæterosque auctores supra laudatos.

ARTICULUS IV.

Quodnam sit principium individuationis in entibus creatis.

96. Controversia hæc, quæ una ex celeberrimis est in tota Philosophia, ideo ad sola creata entia circumscribitur, quia cum divina substantia sit essentialiter individua, immo sua individuatō, quærere principium individuationis in Deo, perinde esset ac quærere principium essentiæ vel existentie ipsius. Ostendimus hactenus individuationem aliquid positivi addere supra communem naturam, quæ conceptu præcisivo speciei exprimi solet: unde sequitur, quod sicut differentia specifica genus contrahit speciemque constituit, ita individuatō rationem communem speciei contrahens individuum constituat, quod est unum per se sub sua specie distinctum ab aliis et incommunicabile aliis per modum, quo prædicatum superius communicatūr inferiori, seu invisibile in plura quale ipsum est. Ex quo ulterius colligitur individuationem vel hæccitatem habere veram rationem differentie, quia est id, quod plura individua sub una communi specie contenta facit numero inter se distingui. Nunc ergo investigamus, quodnam sit principium vel fundamentum hujus individuationis, nempe quid sit illud, propter quod individuum est hoc, et non est aliud. Principium porro individuationis duplex distinguitur: alterum intrinsecum et formale, alterum extrinsecum et effectivum. Principium externum et effectivum est causa efficiens et finalis, per quam hic et nunc hæc individua res potius, quam quævis alia ex infinitis

Statu
questionis.

possibilibus intra eandem speciem producatur: quod proinde est extra ipsam rem individuam productam. Principium vero intrinsecum vel formale est aliquid in situ rei, pertinensque ad intrinsecam et ultimam individui constitutionem, et fundans formalitatem illam, quæ *individuat* dicitur. Sicut enim materia est in homine v. g. principium et fundamentum, propter quod est, ac prædicatur *materialis*, et forma fundat in eodem prædicatum *rationalis*, totaque natura composita, *humanitas*, prædicatum *hominis*; ita quærimus, quid sit illud primum principium, unde existit in quovis individuo sua peculiaris ac propria individuat. Et de hoc intrinseco et formali principio individuationis nunc disputamus, externum principium ad tractatum de causis amandantes. Quoniam autem difficultas et varietas opinionum adest circa substantias et accidentia, de utrisque singillatim agendum est.

§ I.—PRINCIPIUM INDIVIDUATIONIS SUBSTANTIARUM.

Prima est celeberrima de hac re opinio affirmans in substantiis materialibus principium individuationis et multiplicationis intra eandem speciem esse materiam signatam, immateriales vero substantias completas individuari ex specifica sua entitate, nec multiplicari posse, cum careant materia. Quod si incompleta substantia, anima rationalis, multiplex est intra eandem speciem, ideo fit, quia rationalis anima individuatur non ex se, sed per ordinem ad materiam, quam informare debet: unde multiplicatur pro numero corporum informandorum. Hæc est communis doctrina Thomistarum, quam non uno in loco tradidit Angelicus Doctor (1); eandemque tenuisse putatur Aristoteles (2). Nominem autem materiam signatam intelligitur materia affecta et quasi sigillata

Quid nomine
materie signate
veniat, non
omnes
eodem pacto
declariant:

(1) Vide inter alia loca S. Thom. 1. p. quæst. 3. art. 3; quæst. 39. art. 1 ad 3.^{um}; quæst. 50. art. 4; quæst. 56 art. 1 ad 2.^{um}; quæst. 75. art. 4 et 5; 1. 2. quæst. 63 art. 1; 3. p. quæst. 77. art. 2; *Contr. Gent.* lib. 1. cap. 21. *Amplius*; lib. 3. cap. 65. *Item, nullum particulare; de Potent.* quæst. 9. art. 1. et art. 3. ad 5.^{um}; *de spirit.* creat. art. 5. ad 8.^{um}; *Quodlib.* 7. art. 3; *Quodlib.* 8. art. 2; *Opuscul. de Ent. et Essent.* cap. 2; *Opuscul. de Princip. individuation. etc.*

(2) Vide plura loca congesta apud Suarez, disp. *Metaph.* 5. sect. 3. n. 3; et Fonseca *Metaph.* lib. 5. cap. 6. quæst. 4. sect. 1.

quantitate vel sub certis dimensionibus (1): quam tamen ^{prima expositio,} non omnes eodem pacto exponunt: α) primo enim quidam per materiam signatam interpretantur materiam, quatenus est formaliter affecta quantitate. Nam cum duo individuat importet, incommunicabilitatem pluribus, et distinctionem a quolibet alio; primum horum putant procedere a materia, alterum a quantitate, atque adeo principium individuationis adæquatum quasi integrari ex materia et quantitate actu informantem materiam, vel ex materia prout affecta quantitate. Ita Capreolus (2), Ferrariensis (3) et Soncinas (4). Et hæc explicatio fundamentum habet in S. Thoma (5) et Aristotele (6). Ratio hujus explicationis esse potest, «quia ut materia sit principium individuationis, aliquid necessarium est, ut distinguat hanc materiam ab illa. Sed hoc non est ipsa materia, quia distinctio fieri debet per actum; nec per formam, nam potius hæc forma est distincta ab illa, quia in distincta materia fit et recipitur» (7). Ergo necesse est, ut ipsa quantitas prout actu informans materiam, concurrat ad constituendum principium individuationis.

β) Secunda expositio primæ hujus sententiæ est, ^{secunda,} materiam signatam quantitate esse principium individuationis non esse intelligendam ita, ut materia prout actu includens quantitatem causet individuationem, sed materia prout intrinsecum ordinem dicit ad quantitatem, nempe prout receptiva, hujus quantitatis et non illius, ut loquitur Chrysostomus Javellus, hæc vero potentia receptiva materiam et ordo

(1) *Materia... dupliciter accipitur, scilicet, ut signata et non signata. Et dicitur signata, secundum quod consideratur cum determinatione dimensionum harum scilicet vel illarum; non signata autem, quæ sine determinatione dimensionum consideratur. Secundum hoc igitur est sciendum, quod materia signata est individuationis principium S. Thom., de Verit., quæst. 2. art. 6, ad 1.^{um} Cfr. Opuscul. de Ent. et essent. cap. 2 fin.*

(2) 2.^o distinct. 3. quæst. 1. art. 1.

(3) In lib. 1.^o *Contr. Gent.* cap. 21.

(4) *Metaph.* lib. 7. quæst. 33 et 34.

(5) *De Malo*, quæst. 16. art. 1 ad 18.^{um} *Opuscul. de Princip. individ.* paulo post med; *Opuscul. de Trinit. super Bæet.* quæst. 4. art. 2 *Sic igitur patet, quomodo materia etc.*

(6) *Locis citatis apud Suarez, disp. 5. sect. 3. n. 9.*

(7) *Apud Suarez loc. cit. nuper.*

ad hanc quantitatem «determinatur sibi ab agente particulari disponente materiam ad talem vel talem formam, exigentem tantam vel tantam quantitatem in materia pro sui dispositione conservativa» (1). «Signatio materiæ, inquit Joannes a S. Thoma, non fit formaliter per ipsam quantitatem, tamquam per formam inhærentem materiæ et efficientem ipsam, sed fit per intrinsecum ordinem materiæ ad quantitatem ut ad formam dividendam et separantem; et ita quantitas potius est terminus signationis materiæ, ad quam dicitur ordinem, quam forma intrinsece signans. Et hoc modo dicitur se habere ut conditio et connotatio individuacionis: et in isto genere, scilicet ut conditio, quantitas est primum, licet materia sit primum et radicale individuandi principium. Itaque materia signata quantitate idem est, quod materia ordinata ad quantitatem ut dividendam: quæ divisio licet non sit sine informatione quantitatis, et quantitas, ut dispositio quædam est, dimanat a forma, tamen in ratione dividendis præcedit in genere causæ materialis ipsam formam... licet in genere causæ formalis e converso sit» (2). Hanc expositionem sequuntur inter alios Cajetanus (3), Chrysostomus Javellus (4), et Joannes a S. Thoma (5), quibus præverat Ægidius (6). Ratio hujus explicationis est, quia si individuum definiretur, poneretur in ejus definitione materia ut receptiva hujus quantitatis et non alterius, quemadmodum scribit Javellus.

tertia,

γ) Cajetanus tamen expositionem hanc, quam junior tenuerat, postea paululum immutavit; et nomine materiæ signatæ, vel materiæ sub certis dimensionibus, intelligi voluit non «materiam cum potentia ad quantitatem,» sed «materiam distinctam numero, non ut subjectum quantitatis (receptivum), sed ut prius natura ipsius fundamentum, radix

(1) Javel, *Metaph.* lib. 5, quæst. 15.

(2) Joannes a S. Thoma, *Curs. philos.*, secundæ partis pars 2.^a et 3.^a, quæst. 9, art. 4, *Dico* 2.^o, ubi fusius rem conatur explicare.

(3) In *Comment. sup. Opusc. S. Thomæ de Ente et essentia* cap. 2, quæst. 5.

(4) *Metaph.* lib. 5, quæst. 15.

(5) *Loc. nup. cit.*

(6) Apud Suarez, *loc. cit.* n. 18.

et causa (virtute proinde præhabens quantitatem), ita quod ipsa materia in se est prius sic distincta, quam quanta, ut sic effectus proportionetur causæ; distinctio enim numeralis, qua Socrates distinguitur a Platone, in quantum sunt isti homines, non est distinctio quantitativa, sed fundamentum quantitativæ distinctionis» (1). Et hoc videtur etiam tenere Blasius a Conceptione (2), et alii frequentius Thomistæ apud ipsum et Mastrium (3).

δ) Alii, quos tacite refert Suarez (4), sigillationem materiæ explicant per modum aliquem distinctum a quantitate. Dicunt enim ante introductionem formæ substantialis imprimi materiæ «quemdam modum realem et ex natura rei distinctum a materia, prævium ad introductionem formæ substantialis cum sua quantitate et aliis dispositionibus, et per hunc modum sigillari materiam, et nonnulli vocant illum modum substantialem, alii accidentalem» (5). En primam sententiam de principio individuacionis quadrupliciter explicatam, in qua rejicienda conveniunt omnes, exceptis Thomistis.

quarta,

Secunda sententia, ut omittamus unum aut alterum, qui materiam nude sumptam principium individuacionis posuisse dicitur (6), est illorum, qui formam substantialem adstruunt internum principium individuacionis. Hæc tribuitur Averroi et Avicennæ aliisque apud Eximium Doctorem (7) et Mastrium (8). Tertia est quorundam opinio, quos referunt Scotus (9), Fonseca (10), et Suarez (11), principium individuacionis reponentium in existentia vel etiam in substantia.

Secunda opinio,

tertia,

(1) Cardin. Cajetan. In 1.^{am} part. quæst. 29, art. 1. Cfr. Suarez, *loc. nup. cit.*

(2) *Metaph.* disp. 3, quæst. 4.

(3) *Metaph.* disp. 10, quæst. 6, n. 66.

(4) *Loc. cit.* n. 22.

(5) Alios præterea modos explicandi materiam signatam vide, si lubet, apud Lossada, *Metaph.* disp. 1, cap. 6, n. 138.

(6) Vide apud Blas. a Concept. *loc. cit.* quæst. 2, n. 12 fin.; et Mastr. *loc. cit.* quæst. 6, n. 65.

(7) *Loc. cit.* sect. 4, n. 1.

(8) *Loc. cit.* quæst. 7, n. 96.

(9) 2.^a dist. 3, quæst. 3.

(10) *Metaph.* lib. 5, cap. 6, quæst. 2, sect. 1.

(11) *Loc. cit.* sect. 5.

quarta
communissima
Scotistarum
et Nostrarum.

Sententia demum communissima est substantiam singularem non egere alio principio individuationis præter suam entitatem vel præter principia intrinseca, quibus ejus constat entitas; differentia enim individualis vel hæcceitas, quam aliquid positivum addere supra communem naturam docuimus, non habet in re speciale aliquod fundamentum vel principium realiter distinctum ab entitate substantiæ individualis; atque adeo in hoc sensu unaquæque entitas individualis per seipsam est suæ individuationis principium. Si enim res est simplex, ex se et ex sua simplici entitate individua est, si vero composita, ex materia nempe prima et forma substantiali, principia individuationis ejus sunt materia et forma et unio in individuo sumptæ. Hæc est communis doctrina nostrorum et Scotistarum, ut fatetur Mastrius (1), licet Scotistæ alio loquendi modo usi, scribere solent principium individuationis esse differentiam individualem vel hæcceitatem (2). Ita ergo sentiunt præter Scotistas omnes, Suarez (3), Molina et Toletus (4), Valentia (5), Benedictus Pererius (6), Quiros (7), Rhodes (8), De Benedictis (9), Hurtadus (10), Semery (11), Soares lusitanus (12), Tellez (13), Arriaga (14), Compton (15), Lossada (16). Idemque tandem videtur quoad rem tenere P. Fonseca (17), licet

(1) *Metaph.* disp. 10, quæst. 9, n. 126.

(2) Vide Mastrium, loc. sup. cit., et Pontium, *Logic.* disp. 6, quæst. 9.

(3) Loc. cit. quæst. 5.

(4) In 1.^{am} part. quæst. 50, art. 4.

(5) Commentar. in 1.^{am} part. disp. 4, quæst. 1, punct. 3.

(6) *De Communibus omnium rerum natural. princip.*, lib. 6, cap. 11 et 12.

(7) *Metaph.*, disp. 103, sect. 3.

(8) Lib. 4, disp. 3, quæst. 2, sect. 2, paragr. 2.

(9) *Metaph.* lib. 1, quæst. 4, cap. 2.

(10) *Metaph.* disp. 4, sect. 5.

(11) *Trienn.* tom. 1, disp. 3, quæst. 3.

(12) *Metaph.* tract. 1, disp. 4, sect. 6, paragr. 7.

(13) Disp. 52, sect. 5.

(14) *Metaph.* disp. 1, n. 91.

(15) *Metaph.* disp. 2, sect. 1.

(16) *Metaph.* disp. 1, cap. 6 a n. 136.

(17) *Metaph.* lib. 5, cap. 6, quæst. 5.

prius sententiam hanc impugnasset (1), itemque P. Vazquez (2).

Tanta opinionum varietas obscuritatem rei hujusce affatim demonstrat. Quid tamen nobis verosimilius videatur, sequentibus propositionibus breviter aperiemus.

97. PROPOSITIO 1.^a Neque existentia neque subsistentia est principium individuationis.

Est communissima omnium auctorum.

Prima pars probatur 1.^o Petrus et Paulus non solum prout considerantur ut existentes, sed etiam prout ab existentia præscindunt, immo prout possibles sunt, inter se suis differentiis propriis distinguuntur. Ergo id per quod in ratione individui constituuntur, non est existentia.

Prob. 2.^o Existentia contingenter prædicatur de individuo, individuatio vero necessario. Atqui quod contingenter convenit, et prædicatur de aliquo, nequit causa esse rationis, quæ necessario prædicatur de eodem, ut per se patet. Ergo.

Major patet, quia individuatione constituitur individuum formaliter: unde tam necessario Petrus est *hic homo*, quam est *homo*, et tam necessario Petrus collocatur sub homine, quam homo sub animali.

Confirmatur quia nemo concipit munus existentiae esse facere hanc rem numero distinctam ab aliis, et indivisibilem in alias ejusdem rationis; sed omnes apprehendunt existentiam munus esse simpliciter facere rem existentem (3).

Secunda pars probatur 1.^o Certum est subsistentiam separari posse a re individua, ut de facto abest ab humanitate Christi Domini subsistentia humana. Ergo individuationis principium nequit esse subsistentia.

Prob. 2.^o Subsistentiæ ratio aliquo saltem modo distinguitur a natura individua, cui advenit, vel certe advenire concipitur tamquam ultimus terminus. Ergo ante subsistentiæ rationem, eaque præcisa, jam supponitur res individua, ac proinde subsistentia nequit esse principium individuationis (4).

(1) *Ibid.* quæst. 3, sect. 2.

(2) In 1.^{am} part. disp. 181, cap. 3.

(3) Plura dabit Suarez, loc. cit. sect. 5, ad num. 6.

(4) Cfr., si lubet, Suarez, *ibid.* n. 6 seqq.

Non est
principium
individuationis
existentia.

neque
subsistentia.

neque
materia signata. 98. PROPOSITIO 2.^a Principium individuationis intrinsecum non videtur esse materia signata quantitate, vel materia sub certis dimensionibus.

Nota bene ante omnia nos agere hic de principio individuationis in seipso, non vero quoad nos; nempe de hoc solum disputamus, quid sit principium formale causans individuationem, non autem quid sit illud, quod nos facit individua diversa inter se distinguere. Si enim de principio individuationis quoad nos dumtaxat ageretur, concedi posset substantias materiales individuari ex materia signata, non enim aliter nos cognoscimus et inter se distinguimus individua materialia, nisi ope sensuum ex certis dimensionibus et accidentibus quantitati inhærentibus. Et ita etiam non desunt, qui hoc modo S. Thomam interpretentur dicentes S. Doctorem, cum scripsit principium individuationis esse materiam signatam, de principio individuationis dumtaxat quoad nos locutum esse. Quæ interpretatio fundamentum aliquod habet in ipso Aquinate, cujus hæc sunt verba: *Materia... est principium individuationis, ut est primum subiectum... et solum sic... Materia autem cum tribus dimensionibus non est primum subiectum, sed secundum se et in natura sua, per quem modum non pertinet ad naturam speciei, sed prout est in acceptione intellectus, cujus est determinationem seu intentionem speciei percipere. Cum ergo forma recipitur in materia, circumspicitur per intellectum dimensionibus, fit aliquid existens in genere substantia et ultimum, completam habens rationem individui in substantia. Sed non fit hic et nunc demonstrabile sine dimensionibus determinatis et certis, quas habere necesse est, eo quod forma recipitur in materia; cum impossibile sit, eam recipi in materia, quin constituatur corpus substantia, sub cujus propria figura sunt dimensiones ipsæ. Et ideo dicitur, quia materia sub certis dimensionibus est causa individuationis, non quod dimensiones causent individuum, cum accidens non causet suum subiectum; sed quia per dimensiones certas demonstratur individuum hic et nunc, sicut per signum proprium individui et inseparabile (1). Quibus similia*

(1) S. Thom. Opusc. De Natura materiae et dimensionibus interminatis cap. 3 lin.

scribit alibi (1); et in hanc rem illud quoque proferri in medium potest, quod S. Doctor diserte tradit, substantiam videlicet individuari per seipsam et per propria principia, accidentia vero individuari per substantiam (2). Equidem letarer, quod vera ista foret doctrinæ Aquinatis interpretatio, neque enim ferre, nisi ægerrime, possum tantum Doctorem habere in hac propositione contrarium. Nihilominus valde dubito, quod ea fuerit mens S. Thomæ, cum tam sæpe egerit de principio individuationis illudque, nulla facta distinctione, absolute reposuerit in materia signata. Si enim vera esset ista interpretatio, sequeretur S. Doctorem nunquam attigisse quæstionem de principio individuationis interno, et prout est in se; atque adeo valde minute et æquivoce tradidisset nobis individuationis principium, si omisso eo, quod vere et in se est principium constitutum individui, solum nobis tradidisset signa a posteriori distinguendi individua. Eo vel magis, quod ex illa doctrina, tot aliis in locis absolute tradita, intulit in substantiis separatis a materia non posse dari plura intra eandem speciem individua, quia nempe carent materia signata, quæ principium est individuationis et multiplicationis in materialibus substantiis. Quid, quod Angelicus aliquando distincto principio individuationis a principio cognoscendi distinctionem individuum, illud quidem constituit in materia signata, hoc vero extendit etiam ad alia accidentia? *Ex his dimensionibus interminatis, inquit, efficitur hæc materia signata, et sic individuatur forma, et sic ex materia causatur diversitas secundum numerum in eadem specie. Unde patet, quod materia secundum se considerata non est principium diversitatis secundum speciem nec secundum numerum; sed sicut est principium diversitatis secundum genus, prout subest communi forma, ita est principium diversitatis secundum numerum, prout subest dimensionibus interminatis. Et ideo cum hæc dimensiones sint de genere accidentium, quandoque diversitas secundum numerum reducit in diversitatem materiae, quandoque in diversitatem*

(1) Opusc. de Principio individuationis.

(2) S. Thom. 1 p. quæst. 29, art. 1; De Potent. quæst. 9, art. 1 ad 8.^{um}

accidentium; et hoc ratione dimensionum prædictarum. Alia vero accidentia non sunt principium individuationis, sed sunt principium cognoscendi distinctionem individuorum; et per hunc modum etiam aliis accidentibus individuationis attribuitur (1). Hisce præmissis

Probatur asertio
negative

Prob. 1.^o propositio negative. Nam sententia Thomistarum nullo nititur solido fundamento. Ergo rejicienda est.

Antecedens ut pateat, expendenda sunt argumenta præcipua, quibus adversarii suam fundant doctrinam.

Argumenta
Thomistarum
expenduntur:
primum,

a) *En primum argumentum:* «Illud per quod radicaliter constituitur substantia prima (nempe individua) in ratione substantiæ primæ, est radix individuationis. Sed substantia prima constituitur radicaliter in ratione substantiæ primæ per materiam primam, ut signatam quantitates».

«Et probatur, quia materiæ primæ sigillatæ primo et per se convenit, quod convenit formaliter substantiæ primæ ut sic, cum materia prima ut signata quantitate, neque sit neque possit esse in subjecto, aut de eo prædicari: licet enim materia considerata secundum se præcise ob universalitatem quamdam negativam et indifferentiam, quam habet, essendi in diversis compositis, possit de hac vel illa materia prædicari, tamen hæc materia, quæ est hac quantitate signata, de nulla alia potest prædicari. Ergo cum substantia prima sit ea, quæ neque est in subjecto, neque de aliquo alio potest prædicari, debet ista definitio (quæ certe datur de re cum fundamento) in materia prima signata quantitate fundari, tamquam in ratione physica, cui physice et primo hoc convenit». Ita Blasius a Conceptione (2).

Verum respondeo, *negando* Minorem, ad cujus probationem *nego* pariter antecedens.

Et ad enodandam melius totam difficultatem, noto ex duabus particulis, quæ declarationem primæ substantiæ afferuntur, ut nempe *non possit esse in subjecto, nec prædicari de subjecto*, primam non spectare ad rationem substantiæ primæ, *quatenus prima, seu quatenus individua*, sed solum

(1) S. Thom. *de Trinitate super Boetium*, quæst. 4. art. 2. fin. corp. Cfr. ib. ad 4.^{um}

(2) *Metaph. disp. 3. quæst. 2. n. 14.* Cfr. apud Suarez loc. cit. sect. 3. n. 4. *Secundo*.

secundam; nam non posse esse in subjecto, commune est omni substantiæ, sive primæ sive secundæ, quemadmodum suo loco declarabitur. Vis ergo probationis in objecto argumento tota desumitur ex altera substantiæ primæ dote, quæ in hoc consistit, ut nequeat de subjecto prædicari.

Jam vero falsum est, quod non posse prædicari de subjecto conveniat primo et per se materiæ primæ quantitate signatæ, et per ipsam substantiæ primæ. Nam non posse prædicari de alio, æque convenit omni entitati individuali, nec minus formæ, quam materiæ; in hoc enim distinguitur quævis entitas individualis ab universali, sive specifica sive generica, immo vero id ipsi materiæ signatæ non convenit, quia materia signata est, sed quia individua est, siquidem ipsa materia signata, si ab hæcitate sua præscindatur, et in universali consideretur, non minus potest prædicari de subjecto, quam quævis ratio specifica vel generica prædicatur de individuo proprii prædicamenti. Ex quo sequitur nihil speciale esse in materia signata individuali ad hoc, ut nequeat de alio prædicari, quod non reperitur in formis individualibus, sive substantialibus sive accidentalibus, et in composito individuali, ac proinde proprietatem istam non derivari ex materia signata in substantiam primam.

Dices materiam signatam esse primum subjectum in *esse physico*, ac proinde ipsi primo et radicaliter convenire dicendum esse, quod non possit de alio prædicari.

Respondeo, materia quidem est primum subjectum, non quidem materia signata quantitate, sed materia nude sumpta, quia ipsa est subjectum formæ substantialis et quantitatis dimensionumque, atque adeo ceterarum formarum et affectionum materialium. Quomodo autem probant exinde adversarii materiam, sive nudam sive etiam signatam, quia est primum subjectum, esse quoque id, cui primo et radicaliter competit non posse de subjecto prædicari, et ex materia derivari eandem proprietatem in formas individuales et in substantiam primam? Atqui donec id probent nihil conficiunt, nam in hoc est cardo questionis hujus. Id autem probari nequit ab adversariis, immo contrarium videtur satis manifeste probari ex eo, quod nuper innuebamus, quia materia semper est primum subjectum, etiamsi universaliter

et in communi consideretur, et nihilominus materia universaliter considerata potest prædicari de alio, sicut quævis alia ratio universalis. Ergo quod materia prima non possit prædicari de alio, non oritur ex eo quod sit primum subjectum, sed aliunde; atque adeo neque talis proprietas ex materia in alia derivatur.

Simili argumento ab adversariis ex eo petito, quod prima radix incommunicabilitatis, quæ dos est individui, in materia signata consistit, simili modo Eximius Doctor egregie respondet (1).

secundum,

β) **Secundum argumentum Thomistarum:** «forma non est principium individuationis. Ergo materia prima. Atqui materia prima simpliciter et præcise considerata, non potest esse completum principium individuationis. Ergo materia prima ut signata quantitates».

«Primum enthymema est evidens, quia individuatō debet refundi, tamquam in radicem, in aliquam ex partibus individuum constituentibus. Ergo si in formam non refunditur, debet in materiam refundi».

Minor subsumpta probatur, quia «datur aliquid in gradu individuali, quod soli materiæ simpliciter et præcise consideratæ attribui non potest», nam in individuo datur incommunicabilitas alteri sive per modum actus sive per modum potentiæ; at materia prima cum ex se solam habeat incommunicabilitatem per modum formæ vel actus, est enim pura potentia, quæ actus alterius esse nequit, non potest etiam reddere substantiam alteri incommunicabilem, nisi per modum formæ vel actus. Per modum autem potentiæ communicabilis est materia, quantum est de se, pluribus formis ejusdem speciei. Ut ergo et ipsa reddatur incommunicabilis pluribus formis etiam per modum potentiæ, et consequenter compositum individuum hoc eodem modo reddat incommunicabile, oportet ut signetur quantitate, per cujus sigillationem adstringitur ad hanc formam, ut incapax efficiatur aliis formis ejusdem speciei recipiendis. Porro ideo incapacitas ejusmodi per quantitatem advenit materiæ, quia quantitas est per se primo divisibilis in partes diversas

(1) Vide Suarez, disp. 5, sect. 3, n. 6.

ejusdem speciei, quarum una est in potentia receptiva alterius (1).

Primum autem antecedens, quod nempe forma nequeat esse principium individuationis; probatur primo quia principium individuationis in substantiis materialibus est prima radix limitationis et contractionis, qua differentia individualis contrahit rationem specificam. Atqui forma substantialis non potest esse radix hujusmodi contractionis. Nam contractio et limitatio, qua differentia individualis contrahit in composito individuali rationem specificam, non est per modum actus et formæ, sed per modum potentiæ. Atqui omnis limitatio potentialis, quæ est in composito, debet provenire tamquam a prima radice ab eo, quod habet rationem primæ potentiæ, quod certe non est forma. Ergo prima radix limitationis, qua differentia individualis limitat rationem specificam, non est forma (2).

Porro limitatio, qua differentia individualis contrahit rationem specificam, dicitur potentialis, seu per modum potentiæ, quia per differentiam individualemente contrahitur natura specifica sicut actus per potentiam, non autem sicut potentia per actum, quo pacto contrahitur ratio generica per differentiam specificam. Et propterea natura specifica quando descendit ad gradum individualemente, non perficitur, sed potius e converso imperfectior redditur. Ratio autem est, quia si natura specifica descenderet ad gradum individualemente per modum potentiæ ab eo perfectibilis, non diceret essentiam omnino completam atque perfectam, sicut accidit naturæ genericæ, utpote quæ descendit ad gradum specificum tamquam potentia perficienda per differentiam specificam (3).

Respondeo in forma, *distinguendo* primum antecedens; forma non est principium adequatum individuationis, *conc.*; inadæquatum, *neg.*

Similiter *dist.* primum consequens, quia ut videmus, neque sola forma, neque sola materia est adequatum principium individuationis, sed entitas utriusque.

(1) Ita Blasius a Conceptione loc. cit. n. 15.

(2) Blas. a Conceptione loc. cit. quæst. 1, n. 5.

(3) Id. ibid. n. 3.

Nego pariter Minorem subsumptam et ultimum consequens.

Ad probationem Minoris subsumptæ, *nego* simpliciter suppositum, quod nempe individuum, quatenus tale, importet incommunicabilitatem sive per modum actus sive per modum potentiæ. Et ratio est, quia si individuum, qua tale, formaliter excluderet hujusmodi incommunicabilitatem, nulla entitas individualis posset ullo ex prædictis modis communicari. Atqui hæc materia individualis huic formæ individuali communicatur per modum potentiæ perfectibilis, forma vero vicissim materiæ per modum actus perficientis, itemque tota substantia individualis communicatur accidentibus tamquam subjectum perfectum quidem in specie, perfectibile autem accidentaliter; præterea substantia individua communicabilis est alieno supposito saltem per omnipotentiam divinam, ac de facto communicatur in Christo Domino natura humana individualis personæ Verbi divini. Ergo frustra laborant adversarii tam solliciti quærentes in materia signata individuationis principia, sive per modum potentiæ sive per modum actus. Immo dum ita fuse ratiocinantur, ne punctum quidem controversiæ videntur attigisse. Vera enim et essentialis incommunicabilitas individui constitutiva non est alia, quam incommunicabilitas repugnans communicabilitati, qua species communicatur pluribus individuis, aut genus pluribus speciebus, vel generatim ratio aliqua superior inferioribus; vel communicabilitas illa, quæ aliis vocibus dicitur indivisibilitas naturæ in plures alias, qualis ipsa est.

Ad probationem antecedentis, *distinguo* Minor. Forma substantialis generatim inspecta, *conc.*: forma substantialis individua, *subdist.*: nequit esse adæquata radix, *conc.*; inadæquata, *neg.*

Probationem hujus Minoris etiam *distinguo*: contractio, qua differentia individualis contrahit in composito rationem specificam, non est per modum actus et formæ, sed per modum potentiæ, quatenus non contrahit novam perfectionem super naturam specificam addendo, *trans.*; quatenus non concipiatur a nobis quasi actus latitudinem specificæ naturæ contrahens, *neg.*

Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq.

Quænam enim, quæso difficultas est in hoc, quod forma individua, quæ non habet latitudinem propriam rationis specificæ, actuando materiam, constituat compositum individuum pariter contractum, quod nec dividi in plura, quale ipsum est, queat, nec proinde de pluribus prædicari?

γ) *Tertium argumentum Thomistarum.* «Illud cujus negatio est causa, cur intra eandem speciem atomam non detur multiplicatio individuum, est causa multiplicationis eorum intra illam speciem, intra quam multiplicantur. Atqui negatio materiæ in angelis est causa, cur intra eandem speciem atomam angelicam non possint dari plura individua» (1).

Nam præcise quia carent Angeli materia, natura ipsorum specifica seipsa formaliter individuatur; et ob eandem causam Angeli non habent varios diversosque modos participandi formam, sed unicum tantummodo, quia cum careant materia, carent consequenter potentia varie receptiva perfectionis formæ (2).

Respondeo negando Minorem, et probationes ejusdem: resque abunde patet ex nuper dictis in secundo paragrafo (3). Unum tantum addo, materiam solum assignari posse radicem multiplicationis pure numerice, «si nomine materiæ intelligatur potentialitas et perfectibilitas ab alio, quæ vocari solet *materia metaphysica et analogica*, quæ quidem materia transcendit creaturas omnes, quia nulla est actus purus, adeoque nulla non aliquando potentialis et perfectibilis ab alio, vel tamquam a forma, vel tamquam a subjecto: et saltem omnes possunt ad nutum Dei suum esse accipere et amittere» (4).

δ) *Quartum argumentum.* Unitas ac distinctio numerica dicitur *materialis*, specifica vero *formalis*. Ergo illa a materia, hæc sumenda est a forma.

Resp. dist. antec.: unitas ac distinctio numerica dicitur *materialis*, quasi nullo modo possit procedere nisi a materia, *neg.*: dicitur *materialis*, vel quia de materiali se habet ad considerationem scientiarum, utpote quæ universale duntaxat

(1) Blas. a Conceptione loc. cit. quæst. 1, n. 7, *Probat. 2.^o*

(2) Id ibid. disp. 5, quæst. 2.

(3) Prop. 2.^a n. 92.

(4) Lossada, loc. cit. n. 140.

objectum contemplantur, vel quia individuum analogiam quamdam retinet cum materia, *conc.*

Tum *neg.* conseq.

Sicut natura specifica universaliter considerata vocatur sæpe *forma* ab Scholasticis cum Aristotele et S. Thoma, ita quidquid ad individuationem formaliter spectat, vocari potest materiale; est enim inter hæc analogia quædam et proportio. Nam sicut materia est primum subjectum physicum seu in essendo, in nullo alio receptibile; ita individuum est primum subjectum metaphysicum vel logicum, seu in prædicando, quia de nullo alio est prædicabile, cum sit basis arboris prædicamentalis; et sicut forma est in materia velut in subjecto sustentationis, aut saltem informationis, ita natura universalis est quodammodo in individuo, deque eo prædicatur. Fere simili modo dici solet, quemadmodum vidimus in Logica, genus sumi a materia et differentia specifica a forma, per quamdam analogiam, unde genus non solum est in materialibus, sed etiam in substantiis propria materia carentibus, quales sunt angelica.

Probatur
assertio positive

99. **Prob. 2.^o** propositio positive. *Materia signata*, quæ ab adversariis ponitur principium individuationis, vel intelligitur: α) materia ut affecta quantitate; vel β) ut receptiva quantitatis; vel γ) ut præhabens quantitatem, vel ut radica-tiva quantitatis; vel δ) demum ut affecta modo aliquo reali prævio ad introductionem formæ substantialis cum sua quantitate cæterisque dispositionibus necessariis: hæc namque sunt præcipuæ interpretationes materiæ signatæ ab ipsis ejus patronis inventæ. Atqui nihil horum statui potest primum ac formale individuationis principium. Ergo.

Minor probanda est per partes, nam cætera patent.
a) *Materia ut affecta quantitate non est formale primumque principium individuationis.*

Prob. 1.^o ex principiis adversariorum. Supponunt enim Thomistæ quantitatem non esse in materia tamquam in suo subjecto, sed in toto composito, ac destrui corrupta substantia novamque comparari ad generationem novæ substantiæ: de quibus opinionibus alibi dicendum est. Ex qua doctrina sequitur formam recipi in materia nuda quantitatè, utpote quæ nequit advenire, donec præsupponatur constitutum

subjectum ejus, nempe totum compositum. Ergo similiter ante omnem quantitatem hæc forma recipitur in hac materia, quia generatio in singulari fit, non in universalis. Ergo ex hac materia et ex hac forma resultat hoc individuum ante adventum quantitatis. Ergo quantitas intrinsece ac formaliter non intrat principium individuationis, sive totius substantiæ compositæ, sive singularum partium componentium, hujus scilicet materiæ et formæ (1).

Prob. 2.^o Individuum substantiæ est unum per se directe collocatum sub specie in prædicamento substantiæ. Ergo nullum accidens intrinsece in seipso includit, prout est individuum substantiæ, quandoquidem ex substantia et accidente nequit unum per se resultare, quemadmodum superius docuimus. Atqui tamen individuum substantiæ intrinsece includit suum principium formale individuationis. Ergo quantitas, quam supponimus nunc esse accidens re distinctum a substantia, nequit esse intrinsecum formale principium individuationis (2).

Prob. 3.^o Actus singularis supponit potentiam singularem; quod principium valet potissimum in actu et potentia realiter distinctis. Atqui quantitas est actus materiæ, vel certe totius compositi substantialis, non enim nunc disputamus de subjecto proprio quantitatis. Ergo quantitas individua supponit jam materiam vel compositum substantiale individuum ac singulare, atque adeo non est principium individuationis (3).

4.^o Adde, quod si Deus per miraculum privaret materiam vel substantiam quantitate, illa non desineret esse individua. Atqui nihil potest esse individuum, deficiente suo adæquato principio individuationis. Ergo quantitas principium individuationis non est.

β) *Nec materia ut receptiva quantitatis est principium formale individuationis.*

(1) Vide Suarez disp. 5, *Metaph.* sect. 3, n. 10, ubi plura.

(2) Cfr. Suarez ib. n. 11. Vide etiam Blas. a Conceptione, *Metaph.* disp. 3, quæst. 3, paragr. 1, argum. 1.^o

(3) Cfr. Suarez, ib. n. 14, apud quem vide alia argumenta; vel etiam apud Blas. a Conceptione, loc. cit.

Etenim materia, quatenus receptiva quantitatis, vel respicit illam tamquam actum suum primarium, ad quem per se primo ordinetur, et a quo suo modo sumat speciem, vel non, sed prius respicit formam, quam quantitatem. Si primum dicatur, potentia illa receptiva quantitatis aliquid accidentale est, siquidem actus et potentia ad illum per se primo ordinata, in eodem genere sunt, quemadmodum sibi declarabitur, ac proinde potentia hujusmodi ad quantitatem recipiendam accidens est. Ergo neque potentia hæc recipiendi quantitatem, quæ in materia est, seu materia prout receptiva quantitatis, potest intrinsece pertinere ad principium individuationis substantiæ; secus enim, ut nuper argumentabamur, individuum substantiæ non esset per se unum, constaret enim ex rebus diversorum prædicamentorum (1). Si vero potentia illa materiæ prius respicit substantialem formam, quam quantitatem, ergo materia «prius etiam determinatur ad hanc formam substantialem, quam ad hanc quantitatem. Ergo non signatur seu determinatur ad hanc formam per potentiam ad hanc quantitatem.»

«Prima consequentia patet, tum quia potentia determinatur ad actum modo sibi proportionato. Si ergo potentia ipsa substantialis est, et non recipit actum accidentalem, nisi medio substantiali; non determinatur, nisi cum eadem habitudine et proportione. Tum etiam quia juxta sententiam horum auctorum in re ipsa materia non recipit hanc quantitatem, nisi mediante hac forma, et quia recipit hanc formam, ideo recipit hanc quantitatem. Ergo similiter in potentia non determinatur ejus capacitas ad hanc quantitatem, nisi quatenus determinatur ad hanc formam» (2).

γ) *Nec materia prout radicaliva quantitatis, vel ut præhabens quantitatem, est primum et formale principium individuationis.*

Ratio est eadem. Nam «materia non præhabet quantitatem, nisi in quantum præhabet formam, ad quam sequitur quantitas. Ergo nec præhabet hanc quantitatem cum his dispositionibus, nisi in quantum præhabet hanc formam, ad

(1) Vide Suarez, loc. cit., n. 20.

(2) Suarez ib. n. 21.

quam sequuntur hæc quantitas et hæ dispositiones. Ergo non potest sigillari ad hanc formam, per hoc quod præhabet hanc quantitatem» (1). Accedit quod materia de se sit indifferens ad hanc vel illam quantitatem: nec intelligi potest, quomodo determinetur ad hanc, vel fiat radicaliva hujus quantitatis, quemadmodum fuse ostendit Eximius Doctor (2).

δ) *Materia ut affecta modo aliquo reali prævio ad introductionem formæ substantialis, non est primum ac formale principium individuationis.*

Nam modus hujusmodi vel est substantialis vel accidentalis. Atqui neutrum dici potest. Non primum, «quia cum nec sit natura, nec pars naturæ, nec substantia nec existentia, concipi non potest, quid sit. Deinde vel est omnino absolutus etiam secundum relationem transcendentalem: et hoc non dicitur consequenter, tum quia per illum dicitur determinari materia ad hanc formam vel quantitatem, tum quia per illum dicitur sigillari materia. Si ergo ille est omnino absolutus, materia signata erit quid omnino absolutum a quantitate et ab ordine ad quantitatem, quod est contra prædictam sententiam. Et fere idem argumentum fiet, si ponatur ille modus cum habitudine aliqua transcendentali, nam ut modus sit substantialis, oportet ut terminus primarius illius habitudinis sit forma substantialis et non quantitas; et ita etiam nullo modo ordo ad quantitatem pertinebit ad principium individuationis. Si autem ille modus ponitur accidentalis, explicari non potest quid sit, vel ad quod prædicamentum revocetur». Præterea sequitur principium individuationis esse ens per accidens, ex substantia nempe et accidente conflatum: quod repugnat ex superius probatis (3).

100. PROPOSITIO 3.^a Principium individuationis consistit in ipsa individua rei entitate vel in intrinsicis principii, quibus entitas ejus individua coalescit.

Hoc est, quod alii exprimunt, dicentes substantiam individuum seipsa esse principium individuationis; quæ

Vera sententia statuitur.

(1) Suarez ibid. Lege etiam n. 22 et 26.

(2) Loc. cit. n. 22 seqq.

(3) Vide Suarez ibid. n. 24. Plura dabit Eximius Doctor n. 22-24. Cfr. Blas. a Concept. loc. cit. quæst. 4, *Conclus. 1.^a*

sententia confundenda non est cum illa alia Nominalium superius explosa doctrina, qui putabant naturam communem seipsa individuum esse, ac proinde individualem differentiam nihil addere supra naturam. Nos vero id non dicimus, sed longe aliud: videlicet, differentiam hujusmodi individualem in substantia individua non habere principium aliquod vel fundamentum in re distinctum ab ipsa ejus entitate, et in hoc sensu unamquamque individuum entitatem per seipsum esse suae principium individuationis.

Prob. 1.^o Inde habet res quaelibet suam individuationem, unde habet suum *esse*; siquidem unde habet *esse*, inde habet tale *esse*. Atqui quaelibet res habet *esse* ex ipsa sua entitate individua. Ergo (1).

Prob. 2.^o Substantiae individuae, loquor de completis, vel sunt simplices, vel compositae. Atqui et simplices et compositae per seipsa individuatur. Ergo.

Prob. Minor. per partes. Et primo quidem simplices non habent, unde possint individuari, nisi per ipsam suam entitatem: qua de re nulla est opinionum dissensio.

In substantiis etiam compositis principium individuationis est ipsa individua earum entitas, si et materia et forma, ex quibus supponimus nunc coalescere corpora, itemque unio illarum, atque adeo totum compositum, per seipsa individuatur. Atqui per seipsa individuatur (2).

α) *Primo materia per se individuatur.* Nam materia, quae est sub hac forma ligni, est numero diversa ab illa, quae est sub forma aquae vel hominis. Est ergo in se individua et singularis. Atqui talis non est per hanc vel illam formam aut per ordinem ad hanc vel illam formam, quia variata quacumque forma substantiali, semper manet eadem numero materia. Neque etiam per ordinem ad quantitatem, ex superius probatis.

Nec dicas materiam esse puram potentiam. Atqui actus est, qui distinguit. Ergo natura una non potest ab alia distingui nisi per actum, atque adeo per formam vel quantitatem.

(1) Soares Lusitanus, *Metaph.* tract. 1, disp. 4, sect. 6 par. 7, n. 741.

(2) Vide Suarez disp. 5, *Metaph.* sect. 6.

Respondeo enim, quod materia licet ab alia non distinguatur situ nisi per quantitatem, at entitative per seipsam distinguitur. Licet enim sit pura potentia eo modo, qui suo loco declarabitur, habet tamen ex se formaliter aliquid entitatis, atque adeo actualitatis entitativae, per quam ab aliis distinguatur.

Instabis. Materia essentialiter respicit formam. Ergo haec individua materia individuari debet per hanc formam, vel per habitudinem ad hanc formam.

Resp., neg. conseq. Sicut enim materia generatim habet habitudinem ad formam, ita haec materia habet hanc habitudinem ad formam. Sed hinc solum sequitur materiam physice per seipsam individuari, quia ejus entitas essentialiter includit hanc habitudinem; non autem sequitur materiam individuari per hanc formam. Quia non solum materia generatim sumpta, sed etiam haec numero materia respicit formam in communi, veluti adaequatum objectum suae capacitatis etiam in individuo sumptae; et ideo non recte dicitur haec materia individuari habitudine ad formam. «Sicut potentia visiva in specie dicit habitudinem ad colorem in communi, et in individuo similiter dicit habitudinem non ad hunc vel illum colorem, sed ad colorem in communi; et ideo non individuatur proprie per hunc colorem, quamvis individuatur cum tali seu per talem habitudinem transcendentalem et entitativam ad colorem» (1).

β) *Deinde forma etiam individuatur per seipsam.* Nam forma nequit individuari per materiam, quia nihil a re aliqua distinctum potest esse intrinsecum individuationis principium illius; unitas enim individualis sequitur entitatem individuaalem, sicut unum sequitur ens, et unumquodque per id est unum intrinsece numero seu individuum, per quod est hoc ens. Atqui nihil est hoc ens per aliquid sibi extrinsecum ac re distinctum. Ergo cum materia re distinguatur a forma substantiali, nequit haec ab illa individuari (2).

Deinde forma nequit etiam individuari per ulla accidentia propter rationes, ex quibus ostendimus superius substantiam

(1) Suarez Disp. 5, *Metaph.* sect. 6, n. 4.

(2) Plura vide apud Suarez, disp. 5, *Metaph.* sect. 6, n. 5.

intrinsece individuari non posse per quantitatem, vel per aliud quodvis accidens.

Denique nequit etiam forma individuari per materiam tamquam per terminum, ad quem dicit habitudinem, seu per ordinem ad materiam. In quo est specialis difficultas propter differentiam inter materiam et formam. Materia enim quia eadem numero substat pluribus formis, plane intelligitur non posse habere individuam terminationem ex forma, quam respicit, ut modo argumentabamur; at vero forma non habet eam indifferentiam, sed determinatur ad hanc materiam actuandam, et ideo videtur posse individuari ex hac materia, tamquam ex termino, ad quem dicit habitudinem, ut talis forma est. Et ita opinantur Thomistæ communiter, atque ita etiam interpretantur Aquinatem in iis locis, ubi docet formam individuari per materiam. Nihilominus

Probatur formam non individuari per ordinem ad hanc materiam. Et primo, quidem id luculentius patet de forma hominis, seu de anima rationali, quæ, manens eadem numero, potest diversas materias actuare. Ergo non individuatur per ordinem ad hanc materiam.

Antecedens facile constat, quia per nutritionem continuam paulatim amittitur tota materia humani corporis, in quam primum fuit introducta rationalis anima, et alia nova acquiritur, quæ eadem forma informatur. Item ipsi nutritioni accidentale est, quod his vel illis cibis fiat, et tamen inde provenit, quod anima hanc vel illam materiam postea informet. Ergo hoc etiam illi est contingens et accidentarium: non ergo inde individuatur, nec de se est coaptata ad hanc solam numero materiam (1).

Atque hæc eadem ratio valebit de animabus brutorum, *si sint indivisibiles*, ut plures putant, aliis tamen multis negantibus; nam illæ quoque successive varias materias informant eorum corporum, quibus aluntur.

Pro aliis formis substantialibus non valet hoc argumentum, urgeri tamen potest hoc aliud, quod satis efficaciter

(1) Suarez loc. cit. n. 6, apud quem vide n. 7 solutam levissimam difficultatem.

probat nullam illarum ad hanc numero dumtaxat materiam necessario aptari et restringi. Nam vel hæc numero materia, ad quam unice restricta fingitur forma, intelligitur secundum nudam ejus entitatem, vel includuntur etiam dispositiones, quibus hæc materia ab agente ad hanc formam præparatur. Atqui ad hanc materiam neutro modo sumptam hæc forma ex sua natura restringitur, et aptatur cum exclusione cujusvis alterius materie.

Prob. primum manifeste. Quia hæc materia sumpta cum præcissione a dispositionibus, quibus ad formam præparatur, potest esse communis multis formis vel specie vel numero diversis. Ergo ut sic, non est sufficiens principium individans formam, quia quod de se commune est, ut sic non potest esse individuationis principium.

Præterea «licet hæc forma semel facta in hac et ex hac materia non possit esse in alia, propter dependentiam, quam habet ab illa, quæ dependentia talis est, ut nec forma illa possit naturaliter conservari sine illo genere causalitatis materialis, neque etiam sit aliqua via aut modus naturalis, quo possit hæc forma in aliam materiam transferri, ut ab illa conservetur; nihilominus tamen si entitas talis formæ secundum se consideretur, non videtur ejus aptitudo intrinsece determinata ad hanc numero materiam informandam, ita ut intrinsece sit inepta ad informandam naturaliter quamcumque aliam materiam numero distinctam. Ergo non recipit suam intrinsecam individuationem ab hac numero materia, etiam tamquam a termino suæ habitudinis seu aptitudinis informativæ.»

Consequentia patet, quia hæc materia non est adæquatus terminus illius habitudinis, quandoquidem aptitudo hujus formæ secundum se æque connaturaliter posset exerceri in alia vel alia materia, si in qualibet poneretur. Nam quod per causas naturales solum ponatur in hac materia, et non in alia, non tollit intrinsecam habitudinem ejus, neque facit, ut hæc sit adæquatus terminus illius (1).

Antecedens vero suadetur primo, «quia de potentia absoluta hæc forma transferri potest in aliam materiam et

(1) Suarez, loc. cit. n. 11.

illam informare. Ergo signum est esse in tali forma aptitudinem naturalem intrinsecam ad informandam illam, quantum ex ipsa est... Quia licet illa actio seu transmigratio hujus formæ in materia esset supernaturalis quoad modum, tamen terminus productus naturalis esset; compositum enim illud ex tali forma et materia naturaliter subsisteret.»

Secundo: «quælibet alia materia numero distincta est capax, quantum est ex se, cujuscumque formæ individuae, etiamsi contingat esse in alia materia numero distincta: sine fundamento enim existimaret quis capacitatem hujus materiæ numero de se esse limitatam ad has formas potius, quam ad illas, eo quod fortasse agentia naturalia secundum naturalem ordinem non possint efficere in ea formas illas, quas in aliis materiis efficiunt. Quia cum materia de se sit pura potentia et indifferens, non potest ei convenienti ratione attribui talis determinatio.» Illa ergo materia numero, quæ de facto est sub hac forma hujus corporis, quantum est ex se, capax esset alterius formæ corporis numero distincti, quæ de facto informat aliam materiam. Ergo et e converso illa forma est etiam apta, quantum est ex se, ad informandam hanc vel illam materiam.

«Consequentia patet, quia potentia et actus naturalis sibi mutuo correspondent: unde potentia non respicit naturaliter nisi actum illum, qui aptitudinem habet naturalem ad informandam illam» (1).

Dices, formam esse principium distinctionis specificæ, quia facit differre formaliter. Ergo non est principium distinctionis numericæ, atque adeo individuationis.

Resp. *dist.* antec. forma specificè considerata, est principium distinctionis specificæ, *conc.* Forma in individuo vel secundum suam entitatem individuum, *subdist.*: est principium solius distinctionis specificæ, *neg.*, est utriusque distinctionis principium, *conc.*

γ) *Tertio, modus substantialis, in quo supponimus nunc consistere unionem materiæ cum forma etiam per se individuatur.*

Prob. quia non individuatur per aliquod accidens ob rationes jam factas. Nec individuatur proprie ex hac materia

(1) Suarez, loc. cit. n. 12.

et ex hac forma, quia licet hic modus unionis in individuo non possit esse in alia forma propter specialem habitudinem realem, quam habet cum hac forma, neque etiam possit fieri, nec conservari in alia materia numero distincta, quia respicit hanc, non secundum aptitudinem, sed secundum actualem quamdam relationem, quæ adæquate terminatur ad hanc materiam; nihilominus tamen possent hæc forma et hæc materia uniri alia unione numero distincta. Non enim est necesse, ut si unio hujus materiæ et formæ nunc dissolvatur, et pereat, et iterum rursus hæc materia et hæc forma a Deo uniantur, eandem numero unionem recipiant, quam antea habebant... Possunt ergo illæ uniones numero distingui in eadem forma respectu ejusdem materiæ. Ergo principium individuationis ejus non sumitur sufficienter ex hac forma vel hac materia. Ergo oportet, ut ex se habeat talis modus intrinsecum fundamentum suæ individuationis, quamvis secundum illud respiciat hanc formam et hanc materiam habitudine transcendentali; quia hæc est natura talis modi (1).

δ) *Denique in substantia composita, ut tale compositum est, adæquatum principium individuationis est hæc materia et hæc forma inter se unitæ.*

Ratio est, quia ea sunt principia individuationis intrinseca, quæ sunt principia intrinseca entitatis, siquidem individuo sequitur entitatem, ut importat negationem; ut vero includit positivum, est ipsamet entitas, et nihil illi addit. Quo sensu verissima est illa Doctoris Angelici sententia: *Unumquodque hoc modo habet unitatem, quo habet esse* (2). Atqui hæc materia et hæc forma inter se unitæ, sunt intrinseca principia totius entitatis substantiæ compositæ. Ergo sunt etiam intrinseca principia individuationis.

Et eodem modo concludi posset nec materiam solam, nec solam formam, esse principium individuationis. Quia hoc compositum ut perfecte et omnino sit idem numero, requirit et hanc materiam et hanc formam unitas, et quacumque variata non manet simpliciter omnique ex parte idem numero compositum.

(1) Suarez, loc. cit. n. 14.

(2) S. Th. 1. p. quest. 76, art. 2, ad 2.^{am}

Jam si principia entitatem substantiæ individui constituentia inter se compares, præcipuum est forma, quia hæc forma est maxime propria hujus individui, eademque complet hanc numero substantiam integram, quam materia solum inchoat, immo quantum est de se non magis hanc, quam aliam, inchoat. Unio vero materiæ et formæ non tam necessario ingreditur constitutionem individui compositi, cujus principia essentialia sunt simpliciter hæc materia et hæc forma, unio vero est quasi conditio requisita seu causalitas materiæ et formæ (1).

Forma autem adeo est principium præcipuum, ut sola sufficiat ad hoc ut compositum, quatenus est individuum talis speciei idem numero censeatur, quemadmodum patet ex communi modo sentiendi et loquendi. «Simpliciter enim censeatur idem homo non tantum secundum apparentiam, sed etiam secundum veritatem, qui habet eandem numero animam, etiamsi corpus mutatum sit. Ratio vero est, quia forma censeatur simpliciter constituere speciem: et similiter hæc hoc individuum sub tali specie» (2).

Plura de his dabit Eximius Doctor.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

101. *Objic. 1.^o* Substantia corporea dividi nequit nisi per quantitatem formalem, siquidem quantitatis effectus formalis est dividere, ac proinde divisio requirit formalem quantitatem. Atqui individuum essentialiter importat divisionem ab altero individuo. Ergo formalis quantitas actu materiam afficiens, est illud, unde individuatio petenda est.

Resp. dist. Major.: substantia corporea dividi non potest, id est distincta esse non potest ab alia, nisi per quantitatem, *neg.*; substantia corporea, quæ actu continua est et indivisa, dividi in plures partes nequit nisi per quantitatem, *subdist.*: naturaliter, *conc.*: essentialiter atque adeo etiam spectata divina potentia, *neg.*

Rationem additam etiam *distinguo*. Effectus formalis primarius quantitatis est substantiam dividere seu divisibilem

(1) Qua de re vide Suarez, In 3.^{am} part. disp. 34, sect. 2.

(2) Suarez, disp. 5 *Metaph.* sect. 6, n. 16.

reddere, *neg.*; secundarius, *subdist.* divisibilem naturaliter seu motu physico reddere, *conc.* absolute divisibilem reddere etiam respectu divinæ omnipotentiae, *neg.*

Conc. Minor. et neg. conseq.

Difficultas supponit doctrinam alibi discutiendam de formali effectu quantitatis: qua de re nobis probabilius videtur primarium effectum quantitatis esse substantiæ corporeæ tribuere impenetrabilitatem vel extensionem, quam vocant aptitudinalem, seu exigentiam ponendi partes extra partes. Ex quo deinde sequitur secundario, quod substantia corporea sit motu et instrumentis physicis, atque adeo naturaliter, divisibilis in partes integrantes, quamvis absoluta divisibilitas harum partium non proveniat, etiam tamquam effectus secundarius, a quantitate, sed ex distinctione, quam ratione propriæ entitatis habent, qua supposita certe posset Deus, etiam sublata quantitate, partes illas separare ac dividere. Verum de his alibi.

Cæterum argumentum solum probat ex una corporea substantia non posse, saltem naturaliter, fieri plura individua distincta, ope nempe divisionis in plura frusta. Non autem probat, quod distinctio individuorum illorum haberet pro principio primo et formali quantitatem: vel generatim non probat, quod distincta corpora numero esse non possint nisi propter quantitatem; quod tamen probandum erat, ut probetur principium individuationis esse materiam signatam. At hoc falsum est, quia corpora illa numero distincta non solum distinguuntur, quia quantitates distinctas habent, sed etiam quia substantiales entitates distinctas habent, quarum profecto entitatum distinctio quantitatem antecedit.

Objic. 2.^o Infima unitas et divisio desumenda est ex eo, quod est infimum in rebus. Sed unitas et distinctio numerica est omnium infima, materia vero signata quantitate est infimum, quod in rebus est. Ergo.

Resp. dist. Major.; Ex eo quod est infimum in rebus, dummodo sit aliquid intrinsecum, quod res ipsas constituat, *conc.*; secus, *neg.*

Et *neg. conseq.*

Objic. 3. «Illud quod ex se dividitur in plures partes ejusdem speciei atque rationis, habet ex se esse sub aliqua

ratione speciali principium suæ individuationis. Atqui quantitas dividitur ex se et per se in plures partes entitativas, quæ sunt ejusdem speciei atque rationis. Ergo...» (1); quantitati ergo primo et per se convenit esse principium individuationis.

Resp. 1.^o *Dist.* Minor. Quantitas ex se et per se dividitur etc., *conc.* Sola quantitas dividitur ex se et per se in partes entitativas ejusdem speciei, *subdist.*; absolute, *neg.*; motu et mediis naturalibus, *conc.* Et *neg.* conseq.

Ut enim modo innumus, absolute divisibilitas substantiæ in partes integrantes procedit ex existentia talium partium inter se distinctarum. Jam vero omnis substantia corporea habet partes hujusmodi, easque non accipit formaliter a quantitate, quemadmodum suo loco probabitur, sed ex se formaliter habet. Et quoniam hoc ipso quod adsint in substantia hujusmodi partes, substantia illa divisibilis est absolute ac saltem respectu divinæ virtutis, licet dividi nequeat naturaliter, nisi supposita quantitate, quia sine hac non posset substantia resistere convenienter instrumentis physicis, sed penitus se penetrari libere sineret absque ulla sectione; falsum est simpliciter et absolute *solum* quantitatem esse ex se et per se divisibilem in partes integrantes.

Resp. 2.^o Etiamsi *sola* quantitas foret ex se et per se divisibilis in partes integrantes, adhuc non sequeretur generatim *solum* quantitatem esse principium individuationis. Quia individua distincta intra eandem substantiam possunt esse, quin resultent ex divisione continui. Nonne potest Deus successive, vel etiam simul, duo, tria, centum... corpora creare inter se distincta? Neque vero hujusmodi corpora dici posset inter se distingui substantialiter ratione dumtaxat quantitatis, propter argumenta sæpius facta. Itaque neque Major propositæ objectionis est undequaque vera.

Alias objectiones solutas videri potes apud alios auctores superius allegatos.

§ II.—INDIVIDUATIO ACCIDENTIUM.

102. Supposito quod etiam in accidentibus individuatō aliquid addat supra communem naturam, nam in hoc eadem

(1) Ita Blas. a Concept. *Metaph.* disp. 4, quæst. 2, n. 8.

est ratio pro substantiis, quam pro accidentibus; inquiritur principium physicum differentiæ individualis in accidentibus, vel fundamentum, propter quod hoc accidens est tale individuum accidens. Et prima sententia docet accidentia individuari per subjectum: quam tenet Capreolus (1), Joannes a S. Thoma (2), Blasius a Conceptione (3), alique cum S. Thoma (4).

Altera sententia e converso tenet accidentia quoque ex seipsis individuari, neque aliud habere intrinsecum principium individuationis præter propriam entitatem. Ita Suarez (5), Lossada (6), et alii.

Hæc altera sententia mihi quoque probabilior videtur. Et ratio est, quia accidens nequit individuari ex subjecto tamquam ex intrinseco suo constitutivo, ut patet, quia non componitur ex subjecto; neque etiam ex eodem tamquam termino habitudinis seu aptitudinis, quam habet tale accidens ad informandum tale subjectum, quia non repugnat respectu ejusdem subjecti plura numero distincta accidentia habere aptitudinem ad informandum illud, id quod manifeste patet in accidentibus solo numero distinctis, quæ successive in hærent eidem subjecto. Ergo aptitudines hujusmodi ad informandum subjectum numero distingui nequeunt ex subjecto, atque adeo ex seipsis distinguuntur.

Dices, distingui posse ex diverso tempore, in quo talia accidentia eidem in hærent subjecto.—Sed respondeo primo, tempus esse rem valde extrinsecam, quæ proinde nequit esse intrinsecum principium individualis ullius aptitudinis ad informandum subjectum. Præterea accidentia, quæ successive informant subjectum, nullam internam connexionem habent cum tempore, nec exigentiam, quantum est de se, ut sint nunc potius, quam postea, nec repugnantiam cum certa

(1) In 1.^o dist. 54, art. 2.

(2) *Philos. naturalis*, secund. part. quæst. 9, art. 5.

(3) *Metaph.* disp. 4, quæst. 3.

(4) 1 part. quæst. 29, art. 1; quæst. 39, art. 3; *Opus. de Princip. individ.* fin.; 1.^o dist. quæst. 1, art. 2; 2.^o dist. 2, quæst. 1, art. 2, et alibi sæpe.

(5) *Disp. Metaph.* 5, sect. 7.

(6) *Metaph.* disp. 1, cap. 6, n. 144.

Prima sententia

secunda

eligitur
ut probabilior,
et confirmatur.

aliqua duratione. Ergo non individuantur nec distinguuntur numero per ordinem ad diversa tempora.

Probatur iterum eadem sententia, «quia sine fundamento dicitur hoc accidens numero habere naturalem coaptationem et habitudinem tantum ad hoc subjectum. Nam licet fortasse per naturales causas in solo illo fieri possit, nihilominus tamen ipsum de se aptum est, ut informet quodvis subjectum capax talis accidentis. Sicut e contrario accidere potest, ut hoc subjectum non possit naturaliter habere nisi hanc albedinem, vel hanc quantitatem, et tamen non propterea capacitas ejus intelligenda est ita ex se limitata et determinata ad hoc accidens, ut non sit de se sufficiens ad similia accidentia recipienda» (1).

Itaque in uno dumtaxat sensu dici potest aliquo modo subjectum principium individuationis accidentium, *occasionaliter* nempe, in ordine ad productionem illorum, sive etiam in ordine ad cognitionem nostram, quatenus et agens determinatur ex diverso subjecto ad distincta accidentia producenda, vel ad efficiendum unum potius, quam aliud, et nos etiam illa non discernimus invicem, nisi per ordinem ad diversa subjecta. Verum nos non agimus hic de principio individuationis in ordine ad productionem et cognitionem, sed in ordine ad esse et ad propriam accidentium constitutionem secundum se (2).

103. **Objic. 1.^o** Unumquodque individuatur ex iisdem principiis, ex quibus habet esse. Atqui accidens totum suum esse habet in ordine ad subjectum. Ergo etiam individuationem.

Resp. neg. conseq. Objectio enim solum probat accidentia habere suam individuationem in ordine ad subjectum; ab eoque naturaliter pendere, non tamen probat individuationem subjecti esse principium unde procedit individuatō accidentis (3).

Objic. 2.^o Si accidentia non individuarentur ex subjecto, possent duo aut plura accidentia numero distincta in eodem

(1) Suarez, disp. 5 *Metaph.* sect. 7, n. 3.

(2) Vide Suarez, loc. cit. n. 4.

(3) Vide Suarez, ib. n. 5, in responsione ad primam confirmationem.

subjecto recipi, quandoquidem non obstante identitate subjecti, possent multiplicari et inter se distingui. Atqui nequeunt plura accidentia in eodem subjecto recipi. Ergo accidentia individuantur ex subjecto.

Resp. dist. Major: Saltem successive, *conc.*; simul, *subdist.*; nisi aliqua alia ratio obstaret, *conc.*; si obstet, *neg.*

Contradist. Minor. Nequeunt plura accidentia in eodem subjecto recipi saltem successive, *neg.*; simul, *subdist.*; idque ideo locum habet, quia accidentia individuantur ex subjecto, *neg.*, ob aliam causam, *trans.*

Et *neg. conseq.*

Questio est satis agitata inter Philosophos, utrum accidentia plura solo numero distincta possint esse in eodem subjecto. Quod successive possint, res manifesta est, saltem in ordine ad omnipotentiam Dei, quia nulla in hoc ostendi potest repugnantia. Quod autem naturaliter etiam id fieri possit, ac porro fiat, etiam est communior sententia Philosophorum et videtur facto ipso constare. Nonne enim possum ego successive videre idem objectum, caleferi eodem gradu caloris per diversos ignes etc.? Atqui visiones illæ, caloresque in me excitati successive, diversa sunt accidentia solo numero distincta (1). Et hoc satis est, ut illico inferamus individuationem accidentium non provenire ex subjecto; secus enim repugnaret distinctio et multiplicatio intra eandem speciem accidentium, quæ idem subjectum informarent.

Major est difficultas et opinio varietas circa simultaneam existentiam plurium accidentium numero dumtaxat distinctorum in eodem subjecto. Aliqui enim negant posse simul plura accidentia ejusdem speciei subjectum idem informare: quæ est opinio S. Thomæ aliorumque apud Suarez (2) Multi tamen putant id ita absolute et universaliter dici non posse; nam negari non posse videtur, quod plures simul species intentionales numero distinctæ possint esse in eodem subjecto, puta in eodem intellectu vel in eadem phantasia. Itemque plures relationes v. g. cōexistentiæ vel similitudinis in aliqua qualitate, supposita sententia distinguente relationem

Utrum plura accidentia solo numero distincta possint esse in eodem subjecto.

(1) Vide fuse de his Suarez, disp. 5, sect. 9.

(2) Disp. 5 *Metaph.* sect. 8, n. 5.

a suo fundamento, quæ tamen minus probabilis mihi videtur (1). Unde variæ existunt opiniones auctorum circa determinationem accidentium, quæ possint, vel non possint, simul eidem subjecto inhærere; quas relatas erudite sapienterque expensas vide, si lubet, apud Eximium Doctorem (2). Qui pro certo habens in quibusdam speciebus posse (3), in quibusdam non posse (4), accidentia plura simul idem subjectum informare; hanc tradit regulam ad decernendum, in quibusnam speciebus id fieri possit, in quibusnam autem non possit. «Quædam accidentia ita differunt solo numero, ut præter distinctionem entitatum in reliquis omnibus habeant quamdam similitudinem et convenientiam, scilicet in munere vel officio, ad quod destinantur, et in quacumque habitudine, quam dicunt, ut sunt duo colores, duæ albedines et similia. Alia vero sunt, quæ, licet in specifica ratione convenient, et sub ea tantum numero differant, tamen non habent inter se tantam similitudinem, sed differunt in munere vel in habitudine. Ut v. g. duæ species visibiles Petri differunt priori modo; duæ autem species visibiles Petri et Pauli differunt numero hoc posteriori modo, non enim sunt tam similes inter se sicut illæ duæ, nam diversas habent habitudines transcendentales ad objecta, et ad diversa munera ordinantur» (5). Et secundum hanc distinctionem docet Suarez accidentia prioris generis non posse multiplicari numero in eodem subjecto, posse autem ea, quæ sunt posterioris generis, quia nempe cum specifica unitate possunt habere aliquam dissimilitudinem, veluti materialem, cujus occasione multiplicari possunt. «Ratio autem differentie inter utraque accidentia potest satis probabilis... assignari, primo ex causa finali, quia quando accidentia sunt omnino similia,

(1) Alia exempla vide apud Suarez, ib. n. 15.

(2) Ibid. a num. 7 ad 15.

(3) Vide ib. n. 15.

(4) Ibid. n. 16.

(5) Suarez ibid. n. 16. At Blasius a Conceptione *Metaph.* disp. 4, quest. 3, paragr. 2 in resp. ad 1.^{am} objectionem, cum Cajetano (In 3.^{am} part. quest. 35, art. 5) et Salmanticensibus Carmelitanis (Tract. de *Princip. individuat.* disp. 2, quest. 3, paragraf. 5 ad 2.^{am}) sentit duas species intentionales, quamvis sint representative objectorum solo numero distinctorum, specie tamen revera discriminari.

superflua et otiosa foret eorum multiplicatio in eodem subjecto; quod natura abhorret. Quando vero sunt aliquo modo diversa vel ordinata ad diversos fines, ut patet in speciebus intentionalibus, vel resultant ex rebus ordinatis ad diversos fines, et diversas habitudines inde participant, ut contingit in relationibus; et ideo non est superflua neque præter finem consentaneum naturæ, numerica multiplicatio» (1). «Secundo ex parte agentis, quia quando accidentia sunt omnino similia, nullum agens per se intendit aut pluralitatem eorum, aut aliud inducere in subjectum jam habens aliud omnino simile, quia solum intendit agens reddere passum sibi simile: quod per unam tantum hujusmodi formam consequitur. At vero quando accidentia non sunt prædicto modo similia, cessat hæc ratio, et subjectum indiget majori assimilatione; et ideo agens illam procurat» (2). «Unde tertio redditur ratio ex capacitate subjecti. Sicut enim materia prima quamvis sit indifferens ad omnes formas substantiales, non tamen habet capacitatem ad habendas omnes simul, neque plures, quia una forma sufficienter actuatur; ita etiam subjectum accidentium, quamvis per se primo sit capax alicujus speciei accidentis, et consequenter sit indifferens ad quodlibet individuum ejus, nihilominus non est capax, ut simul recipiat omnia vel plura individua talis speciei, quatenus in eis specifica ratio eodem modo reperitur, quia sufficienter actuatur hujusmodi capacitas una forma talis speciei. Et hoc contingit, quando individue formæ sunt omnino similes et ejusdem rationis et habitudinis. Quando vero accidentia dissimilia sunt, et varias habent habitudines, tunc unum non sufficit ad replendam capacitatem subjecti; et ideo fieri potest, ut in eodem subjecto multiplicentur, donec capacitatem ejus omnino repleant» (3).

Quidquid sit de hac quæstione, ex his concludes, ad solutionem difficultatis, rationem, cur aliqua accidentia, vel si vis etiam omnia, sol numero diversa nequeant esse simul in eodem subjecto, non esse individuationem eorundem.

(1) Suarez ib. n. 17.

(2) Id. ib. n. 18, ubi plura.

(3) Id. ibid. n. 19, ubi magis adhuc hæc evolvuntur.